

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1066

Auteur(s) : Henri II, Bayeux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Étienne, Bayeux (doyen chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1189-1199]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Henri II, évêque de Bayeux, donne, en perpétuelle aumône, au doyen Étienne et au chapitre, la maison du trésorier Conan avec toutes ses dépendances. Le chapitre l'abandonne au doyen Étienne et à ses successeurs dans le décanat.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCLXXV, t. 1, p. 323-324.

Dissertation critique

Terminus ab quo est proposé par V. Bourrienne.
; Décanat d'Étienne, 1184/1185-1199.

Texte établi d'après a

Universis sanctæ matris Ecclesiae filiis, præsentibus et futuris, ad quos præsens scriptum pervenerit, Henricus, Dei miseratione Baiocensis ecclesiae minister humilis, salutem in eo qui est omnium salus. Cum deceat pii patris affectionem circa filiorum provectum sedulam esse et sollicitam, eorum præsertim qui in Ecclesia Dei divinis laudibus propensiōri cura insistunt, nos, attendentes quanta devotione et vigilantia dilecti in Christo filii nostri canonici Baiocenses, die noctuque, divinis insudent officiis, decrevimus eos ad præsens de nostra largitione aliquantula remuneratione ad uberiorem in Dei laudibus vigilantiam excitare. Eapropter, divina duntaxat consideratione permoti, dedimus in perpetuam elemosinam præscriptis filiis nostris Stephano, decano, et capitulo Baiocensi, domos Conani, quondam thesaurarii nostri, cum omnibus suis adjacentiis, perpetuo possidendas, quas etiam Willelmum de Herecort, quondam thesaurarium Baiocensem, de largitione piæ recordationis viri, Philippi episcopi, prædecessoris nostri, constat assecutum, et post ejus decessum, eodem episcopo largiente, Symon de Sacavilla, canonicus noster, est adeptus. Item itaque capitulum, recte considerans Stephanum, ejus decanum, habitationem habere in urbe Baiocensi sibi et familiæ suæ minus sufficientem, dedit ei easdem domos, et decanis in ecclesia nostra sibi canonice substituendis, perpetuo jure possidendas, reddituris eis, domorum earumdem nomine, annuatim sex libras andegavenses, unanimi fratrum assensu statuens ut, post decessum memorati Stephani, decani, eadem pecunia, capitulo disponente, distribuatur clericis de choro, qui die anniversario obitus sui celebrationi divinorum intererint. Viginti tamen solidi, de summa illius pecuniæ sumpti, die eadem in pane pauperibus distribuentur. Ipsum enim, justa ratione permoti, ab ejusdem pecuniæ præstatione liberum vita sua esse volumus et

immunem. Volentes igitur ut quod sollenniter actum est in posterum perpetua gaudeat firmitate, id præsenti carta, sigillo nostro munita, dignum duximus confirmare.